



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

Art. 4. Diuersi alij Errores, Incongruentiae & contradictiones indicantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

*Art. 4. Diuersi alij Errores, Incongruentiæ & contradictiones indicantur.*

**A** Libi passim in similes incidit Errores. Iam expressimus refutauimusque illos, vbi infert Abbatem se submisisse omnimodæ Iurisdictioni Archiepiscopi officij iure, quia (inquit) se illi tanquam Imperatoris Vicario submisit ex Diplomate Maximiliani I. quod vtrique solummodo mandatum continet de renouandis Inuestituris Imperatoris nomine.

E diuerso asserit in eodem illo Diplomate nouam donationem contineri omnium Iurium Monasterij, ita vt per idem Diploma omnia Archiepiscopo donata sint Monasterii bona, iura, Iurisdictiones, regalia, ac denique ipsum Monasterium.

Ad illudque fingendum interpretationibus vtitur, quæ textui ipsi manifestam vim inferunt, ac ab aperta concedentis ac omnium mente aberrant.

Item mutilat Diplomatis textum, vltimaq; ad priora refert, rebus intermediis (ad quas vltima referuntur) omissis, vti ex collatione textuum apparebit; Interpretatur per facultatem infeudandi Abbatem Imperatoris nomine, data esse Archiepiscopo Regalia, feuda, dominia Maximiniana.

Sed & antea pro Archiepiscopo asseruerat primæ concessioni nunquam derogari nisi expressum hoc sit.

In nullis autem Archiepiscopalibus rescriptis verbum vllum continetur, quo Maximinianis iuribus derogari exprimat, aut de eorum Diplomatum aut priuilegiis fiat mentio.

Item pro Archiepiscopo paulò antè sustinuerat, quod Princeps non censeatur alicuius suum aut possessionem auferre, aut vlli præiudicare velle in iure quaesito, & quod potius verba debent impropiari, quam vt alicui præiudicent, etiam si motu proprio, & ex certa scientia adsit clausula, idque de Iurisdictionalibus loquens, quæ paulò post tam facile tolli ait.

*Art. 5. Quòd male asserat votum, Imperatores aliorum iuribus derogare potuisse ac derogasse, in quo Archiepiscopo magis officit.*

**T** Andem & illuc pertingit votum, vt dicat Iuribus omnibus derogari potuisse, *Cum priores, inquit, Imperatores non potuerint legem imponere successoribus à qua recedere non possent.*

Atque etiam non aduertit inde omnes Archiepiscopi machinas destrui, omnes spes refecari.

Nam si posteriora sic facile derogant prioribus, neque potuerint priores Imperatores legem imponere successoribus, à qua recedere non possent (vti ait votum) ecce habent Maximiniana omnium Imperatorum Diplomata, Caroli IV. Friderici III. eiusdem Maximiliani I. Caroli V. Maximiliani II. Rudolphi II. aliorumque omnium Imperatorum, istis Archiepiscopalibus anteriora, posteriora, ac qualiacunque exigere velis.

Ac tandem & postremo moderni Imperatoris Ferdinandi II. non solummodo diploma confirmatorium, sed & sententiam in Iudicio contradictorio latã.